



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

In Lvcaë Cap. 3.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

Christo, quæ accedente cum ætate sapientia informaretur, quia etiam mortē subiit peccati pœnam. Atqui mors nec plenitudini gratiæ nec plenitudini scientiæ quæ in Christo fuit, opponitur, sicut ignorantia. Vide Mediã 3. p. q. 15. art. 3. Sed vti-  
nam sola rerum theologiarum ignorantia laborasset Calvinus, ac non plæraque studio & cauti-  
riata conscientia deprauasset!

## IN LVCÆ CAP. 3.

II. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, &c.*

**Q**VVM Ioannes Baptista ijs quos ad pœnitentiam agendam suis concionibus iam adduxerat (dicebant enim, *Quid ergo faciemus?*) hoc pœnitentiæ genus quali generale iniunxit (turbæ enim erant & tota promiscua auditorũ concio quibus hoc iniunxit) vt opera charitatis erga proximum facerent, ex suis videlicet super suis tam quoad victum quàm quoad vestitum indigentibus largiendo; bonus Calvinus hos esse vult *dignos pœnitentiæ fructus*, qui etiam à Christianis relapsis exigi debeant, nec aliquid à nobis excellentius aut perfectius in hoc genere postulari oportere. *Friuolum* (inquit) *cauillum est, hic rudibus tantum elementa tradi, quæ longè infra Christianã perfectionem subsidant. Ioannis munus fuit plebem Domino perfectã aptare. Nec dubium est quin fideliter in hoc totum incubuerit.* Arqui argumentum quo suã confirmat sententiam, etiam ipsius Caluini iudicio friuolũ cauillum esse ostenderur. Quod enim primo capite de Ioanne dictum erat, *Parare Domino plebem perfectã*, ipse Calvinus exponit iuxta vim verbi Græci quo Lucas vsus est, non ad perfectionem  
sed

Pœnitentiæ fructus.

Calvinus ex seipso refutatur.



sed ad præparationem & instructionem populi à Ioanne faciendam ea verba pertinere. Sicut enim ad eum locum scribit. Participiū *κατασκευασμένον* (quo Lucas hic utitur) non tam perfectionem sonat Græcis quàm formam & concinnitatem qua res ad usum suum aptantur. Quæ significatio presenti loco non male quadrabit, quòd scilicet mittendus sit Ioannes ad plebem Christo aptandam vel formandam, quæ aliàs rudis & impolita nunquã se docilem præbuisse. Hæc ibi Calvinus, suum hoc loco friuolum cauillum digito demonstrans. Fatetur enim iam Calvinus munus Ioannis fuisse, ut rudem illum populum & impolitum aptaret & formaret, ut se Christo docilem præberet, eiusque audiendæ doctrinæ (ut supra eodem loco dixerat) redderet incrementum. Argumentum igitur Calvinus ab istis verbis desumptum, quòd *parare Domino plebem perfectam*, Ioannis officiū fuit, ad eò non probat Ioannem pœnitentiæ formam perfectam tradidisse, aut rudibus elementa non tradidisse, ut omnino probet atque demonstrat, Ioannem in tota prædicationis suæ forma rudibus tantum elementa tradidisse; rudem & impolitum populum aptasse atque formasse ad Christum recipiendum, eiusque perfectiorem doctrinam capellendam. Sic sententiam orthodoxam ad eò non probavit Calvinus friuolum esse cauillum, ut suo friuolo argumento eandem sententiam pulchrè confirmauerit. Hic est ille tantus magister, in cuius verba tot hodie populi & prouinciæ iurare debeant. Sanè Beza propter verbi Græci proprietatem vertit hoc loco: *Ut pararet Domino populum instructum*. Calvinus ut commodius falleret, antiquam versionem retinuit.